

incluso, foemineis imperiis ludibrio fuit. Adeo in istius vitae curriculo non paria paribus, sed longe diversa referuntur. Quem etiam magis sacrificiis deditum, quam Carthaginensium ducem Hamilcarem reperimus? Qui cum toto praelii tempore inter acies positus dimicantes, sacrificium faceret, ubi partem suorum victam esse congovit, in ipsos quos adolebat, se praecipitavit ignes, ut eos vel cruore suo restingueret, quos sibi nihil profuisse cognoverat. Nam de Juliano quid loquar? qui cum responsis haruspicum male credulus esset, ademit sibi subsidia revertendi. Ergo in communi casu non est communis offensa; neminem etenim promissa nostra luserunt. Respondi lacescentibus tanquam non lacescitus; re-fellendae etenim relationis, non exponendae superstitionis mihi studium fuit. Te tamen, imperator, ipsa eorum relatio faciat cautiorem. Nam cum de superioribus principibus texu-isset, quia prior eorum numerus caeremonias patrum coluit, recentior non removet, addidisset etiam: Si exemplum religio veterum non facit, faciat dissimulatio proximorum: evidenter docuit quid et fidei tuae debeas, ut gentilitii ritus non sequaris exemplum: et pietati, ut fratris statuta non violes. Si enim pro suis duntaxat partibus eorum dissimulationem principum praedicarunt, qui cum essent christiani, decreta tamen gentilium minime removerunt: quanto magis amori debes deferre fraterno, ut qui dissimulare deberes, etiamsi quid forsitan non probares, ne fraternis derogares statutis, et nunc teneas, quod et fidei tuae, et germanitatis necessitudini judicas convenire.

---